

VER
GENIALE ET GENITALE,
SIVE
MAJUS MENSIVM FORMOSISSIMUS,
SED AUSPICATUS,
VERNALI JUVENVM SPONSORVM PARI,
ORNATISSIMO DOCTISSIMOQUE VIRO,
DN. M. CHRISTOPHORO BREMERO,
HAMBURGO-HOLSATO,
VRATISLAVIÆ IN GYMNASIO ELISABETANO
COLLEGE DIGNISSIMO,
UT ET CANTORI AD D. CHRISTOPHORI ORDINARIO;
CUM ELEGANTISSIMA PUDICISSIMAQUE VIRGINE,
ELISABETA GLEISBERGIA,
LEOBERGA-SILESIA,
HONORATISSIMI SPECTATISSIMIQUE VIRI
DN. JEREMIE GLEISBERGI,
OLIM LEOBERGÆ SILESIVM
SCABINI ET MERCATORIS MERITISSIMI
RELICTA FILIA,
ACCENTUS ET PRÆCENTUS;
AC MORIS, AMORIS, ET HONORIS GRATIA,
PRIDIE NONAS MAJAS A. C. clō 19 CLII.
IPSA NUPTIALIS FESTI DIE
AD EXHIBENDUM,
A VVITTENBERGENSIS ACADEMIÆ
PROFESSORIBUS ET CIVIBUS
TRANSMISSUS.
OLSNÆ SILES, TYPIS SEYFFERTIANIS.

In Nuptias
Clariss. Viri Domini
M. Christophori Bremeri
Sponsi, amici dilecti.

Provida cura Dei disponit cuncta, regitq;
Et sortes hominum versat amica manus.
Hinc, BREMERE, tibi nubit pergrata virago,
In thalamum properat SPONSA pudica tuum.
Gratulor, & voveo felicia sœdera lecti:
Sit benedicta domus, crescat amoris opus!

Gratulab. scribebat
JOHANNES SCHARFIUS D.
Colleg. Theolog. Senior, & p. t.
Decanus Wittenberg.

Hactenus expertus, quid publica munia possent,
Nunc privata tori discere jura cupis.
Providus incultam duxti, BREMERE, juventam,
Nunc ducenda tibi culta virago domum.
Fac felix ludiq; operam lectiq; pudici,
Teq; Magistratus monstret uterq; virum!

JOHANNES MEISNERUS,
SS. Theol. D. & Prof. Publ.

Ad novos Sponsos.

Tempore vernali, cum formosissimus annus,
Omne felici, Vos torum inire juvat.

Nam

Nam quia vernatis virtute annisq;, quid inde
Sit conjectandum, res sine teste docet.
Scilicet innumerò numerò vernantis amoris
Fruetus, Par verè conjugiale, dabis.
Instar vitis erit sœcunda sœmina, sœtu
Letificansq; Patrem, multiplicansq; domum.
Si Mercatoris merces fert nautica pinus;
Vah! Mercatoris filia quanta feret?
Harmonicus sit amor, modò dirige, Clare Magister,
Consona pace para, dissona lite fuga.
Intervalla quidem sibi Musica vendicat aptè,
Invariatus amor non tamen ista cupit.
Quot ver purpureum producit gramina terris:
Tot serat unus amor germina grata toro!
M. REINHOLDUS FRANCKENBERG,
Hist. Prof. Publ.

Vota fero; quid enim socialia sacra requirunt,
Quàm pia vota piis reddita conjugibus?
Vivite felices, qui pectora casta ligavit,
Augmentet vestram farre meroq; domum;
Cœlestemq; toro casto superimpluat imbrem
Pacis, ut in bino corde sit unus amor.

Amico veteri

f.
JOHAN Sperling P. P.

BREMERE, heus hymenaea paras qui, carmina poscis,
Ille ego do votum, quod solet esse meum;

A 2

Con-

Conjugium sit tale tuum, sibi quæ vale beatum,
Et Sponsa & Sponsus fortè vovere volent!

בלה לב ולב

fund.

ANDR. SENNERTUS

Prof. Publ.

Post varios Hominum mores ex arte notatos,
Leucoreasq; salutatas sapienter Athenas,
Quæ caput implicuere tuum tibi Daphnide lauru,
Post peragrorumq; tot intervalla locorum,
Hospitio te Bresla capit, BREMERE, scholæq;
Munia concredit primum, fidumq; repertum
In parvis, majora dein sperare benignè
Te jubet, utq; sibi devinciat arctius, æquam
Dat mercedem operis, justi preciumq; laboris,
Divinam Requiem, Montis Splendentis agalma,
Hæc maclus virtute, tuam protollere sortem,
Perge alacer, Scholiceq; operatus ritè Juventa,
Conjugis optate non dememinisse memento.
Hamburgum cunas tibi, Vratislavia curas
Alma dedit, det & ista novas cum tempore cunas.

Ex Academiâ Wittenbergenſi
tramittebam

M. SAMUEL POMARIUS

Coll. Philof. Adjunctus.

Ergo tenes portum, dudum dilectæ BREMERE;
Ergo præ Hamburgô Bratſileæ placet?

Musica

Musica Reſtoris dulciſſima munera credit;

Doctoris partes Elifabeta ſchola.

Tertia, perfectum quæ reddat, caſta puella eſt.

Ter gaude, ac florem virginitatis habe!

At ubi Wittenberga Tua eſt, ſuaviſſima Mater?

Gleiſenberga ejus nomine ſola Tibi eſt.

Eſto! age, molle genus Cantûs, bone Muſice, tenta;

Puſio ut ad Patris vagiat ora brevi.

Paullo, age, Gymnaſii vocalia Roſtra quieſcant;

Cui tradas, alia eſt Elifabeta, ſchola.

Flos non ſuccreſcet, Veris quem hęc tempore carpes;

At quovis fructum hinc Vere deinde cape!

Veteri Amico

gratulab. ſcrib. Wittenb.

M. JOHANNES HANNKE, Sil.

P. Cæſ.

FELICITER!

Diffugere nives, & clementiſſimus annus
Surgit ſub ipſas Martias Calendas.

Quas pede non ſegni ſequitur fœcundus Aprilis,

Aperitq; clauſtra terræ & arva Ponti,

Et quæ nata fuit, jam Vere renaſcitur omnis

Natura rerum mater & creatrix,

Hinc celebrat ſua Regna Venus, lateq; per orbem

Amore quæq; copulat ſecundo.

Nec Veneri tempus, quàm Ver, erat aptius ullum:

Getæ Poëtæ carmen aſſeverat.

Scilicet omnimodis concordant Vere novello

Novelli amores & dies novelli.

Quo pecudumq; hominumq; genus, naturaq; tota

Connubiorum vinculum ſubintrant,

A 3

Nubit

Nubit amatq; polus, nubunt salis æqvora, Tellus:
Avisq; nubit ales: Et quid addam?
Regnat & ardet Amor Phœbi sub utroq; cubili.
Amorq; totum servat universum:
Qvi si, crede mihi, sua frena remiserit olim;
Quod inantè amavit, arma suscitabit.
Te prudentem igitur, Te dico, BREMERE, beatum,
Qvi quando cuncta amant, amas & ipse,
Ac tibi constituis solenni jungere vinclo
Venerem venustam, Comparem pudicam.
Exemploq; mones, cum Pallade posse Dionem
Benè convenire, & hanc & hanc jugari.
Gratulor has Tædas, scævo quas omine Pallas
Præluceat, atq; jam Cypris secundat,
I felix, i, lætus ama: formaq; Juventam
In vitia ceream, Domumq; Vestram.
Nec committe gravis deponere volta Magistrî,
Dominâ relictâ si Scholam revisas.
Atq; tuum Thalamum pariter, pariterq; Lycæum,
Noctu dieq; cogita decenter.
Sic cata se virtus & amoribus exeret ipsis
Ita eris Bonus Magister & Maritus.
Oro sed, ut vestros animos amor ille gubernet,
Et suscitabulo usq; apricet acri;
Qvi celo imperitat, qvi tempora signat & horas,
Qvi moderat astra machinamq; Terræ.
Hæc nimium felix hominum genus atq; beatum,
Si perpes orbis vos Amor gubernet!

L. M. Q.
acclamabam Wittenbergæ

M. CHRISTOPHORUS POMARIUS,
SILESIUS.

Ne

Ne vacua relinqueretur pagina, suas Gratulationes his
adjecitum ibant insequentes;

Floriparum rediit ver: Flora superbit amœnis
Floribus: ipsa Ceres frugibus alma vires:
Pæta Venus ludit: Charites per prata choræas
Ducunt: atq; pecus deliciatur agris.
Conjugia instituunt animantes, omnia fœtant,
Augendaq; flagrant proles amore sua.
Tu quoq; Docte Bremere, piâ cum Virgine sacrum
Hoc verno thalamum tempore rite paras.
O bene sic factum! bene sic junguntur amantes;
Flora, Ceres, Charites, quæis Venus ipsa favet.
Vos bene jungimini, qvi mente, simulq; juventâ,
Qvi virtute pares estis, amore pares.
Tam bene ceu Vitis densam sibi copulat ulmum:
Tam bene ceu rident lilia mista rosis.
Fallor? an & viridans campos sic Flora coronet
Floribus, & Cereris germen honoret agros:
Fallor? an & Charites quænvquam Veneresq; venustent,
fingentes docto carmine dulce melos:
Ceu decorant thalamos socialis pignora amoris:
Hæc Charitum superant, hæc Venerumq; jocos.
Talia nascantur, quæ Veris pulcra futuri
Germina sint, horto quæq; serenda Poli.
Hoc voveo: Votis adspiret Gratia Jovæ,
Vester & aeterno flore perennet amor!

GEORGIUS Krißche
Illustris Scholæ Olsnens. Rector.

FELIX

FELIX conjugium sit & beatum,
 Quod nunc omine cum bono, Bremere,
 In presens initurus eminaris!
 Ne curam eripiat tamen sagacem,
 Quam debes duplici usq; functioni;
 Quando nomine Te vocabit uxor,
 succurrant Tibi Musici labores:
 succurrantq; Tibi Scholæ labores,
 Quando nomine Tu vocabis illam.
 Sed quò mens mea quò vagatur? annè
 Uxor Christophorum vocet novella?
 Uxorvè Elisabetha num vocetur?
 Quantum iudicii, Bremere, fallor!
 Nam vos nomina dulciora vestris
 Ipsorum capient, merasq; gemmas,
 Vitas, Lumina, Corda, Margaritas,
 Alternabitis invicem vicissim;
 Et quando pia gliscet illecebra,
 Patrem te feret, audietq; Mater.
 Imò cum obtineat suo vocari
 sexum nomine liberorum utrumq;:
 Clemens largiter ut DEUS secundet
 Finem Conjugii precor; Tuæq;
 Unâ erumpere partione Caja
 Possit Christophorus simul tenellus,
 Natalisq; Comes simul, tenella
 Nimirum Elisabetha; qui vocanti
 Aurem de officii subinde vellant.